



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

Nieremberg, Juan Eusebio

Paderbornæ, 1711

Decas X.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

88. Pondus mihi gravissimum est, & quod mirêre, levitas ejus hoc facit. Error intellectûs (quis dubitet?) gravior est pondere metalli. Plus ille doloris procreat, quàm gravitas plumbi. Gemino autem errore vanitas mundi conficitur: uno errat in fine, altero in mediis. Finis rerum Deus est; ille statuit voluptatem; in primum. Medium ad voluptatem temperantia est, usûsque moderatus: ille eligit excessum; & jam errat in toto.

89. Nunquid cassus est, imò & ridendus labor, ignem aquæ applicare, ut frigeat. In idem planè satagit mundi vanitas: distorquet res in finem, & hunc confundit cum mediis. Insanit, qui rebus tollit proportionem.

90. Qui eximiam de suis rebus æstimationem gerit, similis est ponderanti carbonem: remanet vas, & fuligo in facie vendentis. Si vaniculus res suas ad libellam expenderit, reperiet nec dimidium ejus esse, quod de se supposuerit.

DECAS X.

91. Prudentis gravior lapsus est, quàm fatui; si nimirum electis bene mediis ab-

erret in fine. Sic enim error errori additur, cum medium bonum tingi soleat à colore finis mali.

92. Præstiterit errare in medijs ad obtinendum finem malum, quàm ipsum finem assequi: nam si non evaserit ignominiosum, carebit saltèm infortunio. Tentare malum, malitia est, eligere in id media apta, malitiæ superaddit infelicitatem.

93. Nullius tam felix electio est ac mortis bonæ. Tametsi nostrum non sit mortem eligere, laborandum tamen est, ut moriamur bene. Imò quia arbitrii nostri non est, quando, quî morituri simus, idcirco vivendum nobis est, quasi omni momento migraturis. Hac ratione periculi minùs accidet periculosa, & certitudo moriendi minùs odiosa.

94. Vita incerta est, quam vivimus; mors certa, quam præstolamur. Ad quid tantus apparatus in vitam, & tantus neglectus in mortem? Ut scias, quæ moriendi tua sit hora, omnem reputes esse postremam.

94. Vita præsens vicus est amaritudinis

nis. Addictus supplicio, dum è carcere ad theatrum ducitur, non quærit viarum diverticula, sed rectâ tendit ad agonem. Omnes de matris utero velut è carcere profilimus, morti adjudicati; dum vivimus, ad supplicium tendimus: quid declinamus ad effugia? moriendum denique est.

96. Sunt merces, quibus Regum decreto cautum est, è Regno non efferri, aliàs fisco addicendis. Eandem sortem subeunt opes hujus mundi: terræ addictæ nequeunt trajici ad Regnum æternitatis. Solis operibus hæc prærogativa est, ut transeant de terra in cœlum. His te mercibus oneratum velim: nam omnes eò tendimus æternitatem mercaturi.

97. Ut ut modicè vixeris, semper, dum moreris, superest aliquid; at virtus licèt copiosissima fuerit, ejus adhuc in illa hora senties defectum aliquem. Nul- lum cadaver egestate premitur; interest autem animam hinc migrare affatim opulentam.

98. Annos vitæ plures numerare, non tam

tam

tam est diu vixisse, quàm proximiorē esse morti. Profecisse annis, non virtute, non est producere vitam, sed imminuere.

99. Præsens vita non est, ut jucunderis, sed ut mercatum facias, & lucreris in tempore isto æternitatem alterius. Qui facit jacturam temporis, facit jacturam æternitatis.

100. Quid è duobus pejus sit, non satis statuerim: onerari divitiis, quæ superfluant in vita, an obrui negotiis, quæ impediunt in morte? Opes viventi oneri sunt, negotia viventi, & morienti. Illas dimiseris facilè: his etsi te abdicaveris in vita, restant obligationes in morte, quibus & conturberis ampliùs, & torquearis atrociùs.

F I N I S.

